



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Claromontensi Et Nivernensi Episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

idem officium restituere procuretis, illum quem jamdictas litteras confiterit procurasse secundum constitutionem prefatam appellatione postposita puniatur. Quod si non ambo, alter vestrum &c. Datum ut supra.

EPISCOPO ET CAPITULO ELENENSI.

Epist. 24.
Ne contradi-
ctio unius præ-
velat alterius
publicam utili-
tatem.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quod hujusmodi consuetudo in vestra Ecclesia inolevit, quod si vos pro tractandis ipsius negotiis aliquando convenire contingat, licet omnibus Canonorum institutio vel negotij aliquis certa deliberatio & communis, utilis videatur, & revera nitatur consilio famiori, si tamen displiceat uni soli ratione aliqua non suffulto, sed ducto potius motu propriae voluntatis, totum illud evacuari asseritur, quantumcumque sit utile vel honestum quod ab aliis singulis comprobatur. Quia verò hæc animi perniciofa libertas, quæ per consuetudinem verbi dicitur approbata, sacris canonibus penitus inimica, apostolico debet moderamine coërceri, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ei de cetero nullatenus innitentes, ad communis juris observantiam redeatis. Datum Viterbij IV. Nonas Julij, anno decimo.

CLAROMONTENSI ET NIVERNENSI
Episcopis.

Epist. 87.
Communitate
eis causa. Epi-
scopi Aniciensis
advocatis civis
sunt.

EX parte dilectorum filiorum Aniciensium civium nostris est auribus intimatum quod licet à piæ rec. Lucio Papa prædecessore nostro bo. me. . . Aniciensis Episcopo fuerit sub officij pœna præceptum ne legitima viduarum matrimonia impediret, aut pro eis contrahendis seu decedentium sepulturis pecuniam exigeret contra canonicas sanctiones, vel à suis subditis extorqueri aut exigi patere, venerabilis frater noster. . . successor ipsius non solum hujusmodi postmodum attentavit, verum etiam dictos civis in iis & aliis molestando, excommunicationis & interdicti sententias jaculari præcipitanter in ipsos pro voluntate sua sine causa rationabili non formidat. Unde nos eidem Episcopo sub interminatione canonicæ pœnæ dedimus in præceptis ut quæ per ipsum vel Clericos suos ab eisdem civibus contra justitiam sunt extorta restituens & restitui faciens, ut tenetur, de cetero ab hujusmodi sic absteineat quod justam de se querelam non oporteat

iterari, propter quod manum nostram in ipsum gravare merito deberemus, dictos quoque civis aut eorum nuntios non impediat nec faciat impediri quod minus eundo & redeundo causam suam securè ac liberè prosequantur. Nos enim memoratis civibus per scripta nostra præcipiendo mandamus ut eidem reverentiam & obedientiam tam debitam quam devotam impendant, & laudabilem consuetudinem hæcenus observatam ex pia devotione parentum erga sepulturas carorum diligenter observent, ne forsitan ex fermento pravitate hæreticæ illam corrumpere videantur sub prætextu canonicæ puritatis. Ideoque fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus ab Episcopo & civibus antedictis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam factis appellatione remota præceptum nostrum inviolabiliter observari. Datum Viterbij Nonis Julij, anno decimo.

POTESTATI ET CIVIBVS
Florentinis.

Epist. 88.
Exhortatur ad
pacem & con-
cordiam.

SI diligenter attenditis quod providus pater sæpe servum à filio, sæpe verò filium à servo facit propter offensam utriuslibet vapulare, gaudio quod nuper de Senensium victoria concepistis non poteritis non miscere timorem, nescientes utrum eos Dominus coram vobis propter vestram humilitatem justitiam, an quia per ministerium vestrum illis apponere voluerit disciplinam, cum in uno formidabile videatur quod Assur virga furoris Domini afflixerit Dei populum; quanquam in altero securitas colligatur ex eo quod David in funda prostravit Philistæum. Licet autem Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, qui superbis resistit; humilibus autem dat gratiam, vobis in ipsorum conflictu astutissimè credatur, triumphum tamen accepti gloriam viribus vestris non debetis adscribere, sed alienis peccatis potius imputare, non excedendo modum in facto, ne forsitan ei similes videamini cui contra populum furoris sui, secundum Prophetam, mandaturum se dicit Dominus ut auferat spolia & dividat prædam, & quasi lutum platearum in conculcatione ponat eundem. Ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor ejus, & ad interjectionem gentium non paucarum. Cum ergo discordia tantæ causa in grande rerum dispendium, grave damnum corporum, & immane periculum animarum redundare